



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Bidermani E Soc. Iesv Ignativs Sive De Vita Et
Gloria S. Ignatii Loiolæ Soc. Iesv Conditoris Libri Tres**

Bidermann, Jakob

Antuerpiae, 1635

Electio in Generalem. Cap. XVI.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10788217-5

IGNATIVS *eligitur Generalis.*

CAP. XVI.

84. **I**N hunc ferè modum consti-
tuta Societas, nondum habe-
bat, quem summo sibi Imperio
præfectum spectaret. Igitur Co-
mitijs ad anni M. D. XLI. verum
ieiunium indictis, qui Socij in Ita-
liâ remanserant, ad designandum
GENERALEM euocantur: quibus
adesse ex negotio non licuit, ij ve-
rò litteris, quid fieri vellent, ape-
ruere. Omnium consensu IGNA-
TIUS renuntiatur. Sed nimirum ea
viri modestia fuit, vt inducere ani-
mum non posset, quò in eorum
potestate se fore premitteret. Cœ-
pit magnis proinde precibus fati-
gare Socios; vellent, iuberent, eo
onere liberum esse, cui ferendo se
imparem sciret: néve committe-
rent, vti vixdum coalescens Socie-
tas detrimentum ab se caperet. Im-
pulsit grauib; hoc genus querelis
Socios, vt, quod modò iusserant, ad
quatrimum comperendinarent.

85. In-

85. Interea temporis rursus
ad preces itur, & quid Numini vi-
deatur, solleter inquiritur. Ibi
nihil paucioribus suffragiis in
IGNATIVM spectantibus, idem
denuo vniuersis praeficitur. Hic
ille, cetera minimè pertinax, iuxta
repugnare, atque, ut serium scires,
secessu capto, ad recognoscenda
vitae totius acta totus incumbere:
ijsque Sacerdoti expositis, quid fa-
cto opus videretur, consulere. Thec-
philus is erat, vir inter S. Franci-
sci posteros egregie sanctus; apud
quem, in summo Ianiculo, expiare
se prius insuerat, quam Societas
plane coiretur. Hic talis, cognito
quid fieret, eum utique Deo ait
pugnaturum, si porro abnuere per-
seueraret. Tum denique manus
dare IGNATIVS, & decretam sibi
provinciam adire: idque ut auspi-
cato fieret, ante diem x. Kalendas
Maias cum Socijs, tribusque ado-
lescentibus eodem nuper allectis,
ad septem urbis Tempa inuisere.

86. Ibi in S. Pauli aede Sacris

operatus, solemnem votorum formulam Socijs præit: iisdem porrò consequentibus Eucharistiam impertit. Interim exuberare lacrymis omnium ora, & præ gaudio vix se ipsi capere, dum gratas Numini gratias singuli agunt, cuius consilio res cœpta euentum habuisset: obtestati, vt æternos sibi posterisque successus secundaret. Ita ab eo die cœpit & institutis suis Societas & capite valere. Inito Magistratu, nihil cunctatus IGNATIVS est, optimi parentis munere fungi. Et primum omnium habuit in diem posterum diluculo surgere, atque viritum omnes (vt in Collegijs solet) cubitu excitare: rem præfidi necessariam ratus, vigilias: & posse illius exemplo etiam reliquos facile expergisci, atque ad suos quemque labores adigi. Tum deinde, vt posset, quanto maximè alios præstabat, tantò vilissimus omnium apparere, sumpsit sibi in coquinâ curare, & inibi per dies complusculos pro mediastino facere, quidquid

vix tironem, sui vincendi causâ, decuisset.

87. Post etiam perrexit Christianæ rei elementa pueris tradere, diebus continuis quadraginta sex. Et quamvis, homo Hispanus, haud satis pro Italo, neque concinnè diserebat; is tamen emicabat oris ardor, ineratque linguæ vis tanta, ut auditores oppidò commoti, mox damnatis noxijs, ad Sacerdotū pedes abijcerentur; ac subinde inter eluctantes gemitus, animæque singultientis lamenta, loquendi copiam ægrè inuenirent. Quam rem ait Ribadineira non ambiguis testibus, sed oculis suis compertam se habere; quippe qui admodum adolescens quotidie solitarit, quidquid ille docuisset, accuratè repetere. Secundum hæc nullam operam omittebat, quo familiam nascentem propagare, & omnibus bono, quam latissimè traducere liceret. Eam vniuersam ipse, suarum precum fulcris firmare, & ingenio prudentiaque regere, & ingenti spiri-

tus magnitudine defendere; atque exemplis edoctam, ad optimas virtutes nitebatur inflammare.

88. Ac profectò credi potuit, neutiquam humanâ ope factum, vt sub ipsa initiâ, tantula Sociorum manus, per plerumque orbem dispersalata, vbiq̃ue sedem, intra anni vnus spatia nancisceretur. Nam & in prouinciam Galliam colonix ductâ, & Italia Germaniaq̃ue Societatem accepere. Per Hispaniam quoque ac Lusitaniam increbuit Sociorum nomen, ac mox ciuitate accepti. In Hiberniam denique Indiamq̃ue transportatâ exiguâ eorundem copiâ, mirabili incremento auctuq̃ue, in Indiâ certè, valuerunt. Ita, quod IGNATII votum fuerat, breuî effectum eo adhuc superstite vidimus. Et nimirum hanc à Deo gratiam inierat, vt cuiicumque consilio animum applicuisset, id plerumque omne propitio euentu expediretur.

89. Gessit ita Kempub. summo cum imperio IGNATIVS, annos quin-

quindecim & menses prætereà tres, dies omnino nouem, cum cœpisset ex ante diem XI. Kalendas Maias M. D. XLI. ad vltimum vsque Iulium anni LVI. quo ex humanis abiit. Et eo quidem toto tempore ita assiduus in fungendo munere fuit, vt sibi Româ exeundi copiam numquam fecerit, nisi cum ex negotio in agrum semel Neapolitanum, atque iterum in Oropitanum venit, apud Pontificem Paulum III. dicturus. Nos verò vnum hîc in locum conijciemus, quidquid illum variè per eos annos rebus gerendis exercuit. Primæ illius curæ fuerunt, Domum Romanam constituere; quæ vna deinde, veluti parens, tantam orbi sobolem parturiret: indidem alumnos quaquâ versum emittere, eosque optimis legibus formare, quò in concionibus operam se dignam facerent. Nec fefellit illum hic suorum labor. Passim ita se bonis omnibus insinuauere, vt desiderio accensi multi, Collegia flagitare, &

Socijs ciuitatem offerre properarent. Quibus ille, quæ visum est, opportunissimè auxilia submittebat. Atque inde modicam familiam, cum bono DEO, ad hanc amplitudinem breuî perduxit. Sed quando haud obscurum erat, id studere malum dæmonem, vti, pro suo in IGNATIVM Sociosque odio, magnas vndique turbas conciret, quibus cœpta eorum consilia vafer eluderet; occupandum sibi illius conatum duxit IGNATIVS, vltroque in aciem prodire, ac prior bellum ei facere maturavit: & quantum ille mentiendo niti, tantum ipse pro vero ac bono propugnare.

IGNATII labores Roma.

CAP. XVII.

90. IGITUR præter multarum rerum onera, quibus succumbere quantiuis humeri potuissent; insuper ad hoc seriò incubuit, vt flagitia, si quæ irroborarant, vrbe pellerentur: curauitque illorum
vicem,